

A memoria Caroli quarti cōtra tales facinorosos & sacrilegos editis, & alijs grauiorib⁹, requiri & moneri pro restitutione dictæ ecclesiæ & bonorum prædictorum, ac plenaria satisfactione, & alijs sibi de opportuno remedio prouideri. Quapropter eadem sacrosancta synodus super notorietate & alijs seruatis seruandis in causa huiusmodi certiorata ad plenum, eandem notorietatem & facti euidentiã & alia in ipsa causa agitata attendens, uolens indemnitati ecclesiæ prouidere, nec minus animarum saluti dicti ducis & aliorum occupatorum & detentorum, necnon uasallorum, nobilium, capitaneorum, officiariorum & subditorum prædictorum consulere, præhabita deliberatione matura, undecimo calendis Decembris sequētis eiusdem anni in notorium decreuit, cuius tenor sic incipit:

¶ **Decretum monitorij.**

Sacrosancta generalis synodus Constantiensis uniuersis & singulis Christi fidelibus salutem & omnipotentis dei benedictionem. Grauem querelam uenerabilis fratris nostri episcopi Tridentinensis &c. & sic finit, Literas monitoriales contra dictum Fredericum ducem & occupatores & detentores huiusmodi, partibus ipsis auditis, & seruatis seruandis, prædictis partibus ad hoc legitime citatis, decernimus fore concedendas, decernimus & concedimus in forma quæ sequitur, quæ quidem forma sic incipit:

Constantien.
cōcilij scilicet, 10.

B ¶ **Monitorium decretum in forma.**

Sacrosancta generalis synodus Constantiensis uniuersos & singulos uenerabiles fratres patriarchas, archiepiscopos, episcopos, &c. sic finit, Quibus & cuiuslibet ueritatem in præmissis adhibemus plenam fidem. Datum Constantiæ undecimo calendis Decembris, anno à natiuitate domini millesimo quadringentesimo decimo quinto, apostolica sede uacante.

In Constant.
cōcilij scilicet, 10.

Post hæc de anno domini millesimo quadringentesimo decimo sexto, cum iam dictus Fredericus dux per antea de hac ciuitate Constantiensis recessisset, ipsa synodus in consulta, præfatamq; monitorium in eius præsentia & suorum aduocatorum & procuratorum præsentia decretum, propter quendam tractatum concordiæ, quem sperabat in actis causæ plene constare, in eius personam legitimam non potuerit habere executionem, per edictum secundum formam monitorij antedicti. Et quia per eandem sanctam synodum constituti fuerunt commissarij tam de collegio reuerendissimorum patrum dominorum sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium, quam de nationibus singulis ad cognoscendum, uidendum & examinandum, an antedictum monitorium esset debite executum. Dictisq; commissarijs referentibus, ex productis constat,

C dictum monitorium fuisse debite & in locis deputatis executum, constetq; notorie, dictum Fredericum ducem & alios occupatores & detentores, necnon uasallos nobiles, capitaneos, officarios & subditos supradictos, nullatenus præceptis in dicto monitorio contentis paruissse, sed eundem Fredericum ducem & alios occupatores & detentores supradictos, dictam ecclesiam Tridentinensem, ciuitatem, terras, oppida, castra, uillas & alia iura & bona prædicta tenere indebite & contumaciter occupatas & occupata, contra sententiam & præceptum serenissimi regis Romanorum, cui iuriurando stare promissit, de quo & eius obligatione constat publicis documentis, ideo uolens præfata synodus tantam inobedientiam & rebellionem notoriam ulcisci cum Apostolo, ne tanti mali peruersitas transeat presumptoribus in exemplum, per hanc sententiam quam fert in his scriptis, pronunciat, decernit & declarat, dictum Fredericum ducem Austriæ anathematis & sacrilegij uinculis innodatum, periurumq; reum, necnon pœnas priuationis & inhabilitationis in restitutione Carolina prædicta contentas, eundem Fredericum ducem & alios occupatores & detentores, tam ecclesiasticos quam seculares, uasallos, nobiles, capitaneos, officarios & subditos, inobedientes & rebelles ecclesiæ & ciuitatis Tridentinensis ac op

1. Timo. 1. d
& 2. Tim. 4. c

al. reatum

h h h ij pido